

**Thesium chiriaticarum sylloge III. De scarificatione / Quam ... sub
praesidio Georg. Balthasaris Metzgeri ... defendere conabitur Jacobus
Wachter ... ad diem 3. Martij.**

Contributors

Wachter, Jacobus, active 1671.
Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Kernerianis, 1671.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/x6hm6n83>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

THESIUM CHIRIATRICARUM

Sylloge III.

DE

SCARIFICATIONE,

Quam

Divini Numinis Auspicio

Sub PRÆSIDIO

GEORG. BALTHASARIS METZGERI,

Med. Doct. & Prof. P.

defendere conabitur

JACOBUS Wachter / Memmingensis.

*Addiem 3. Martij,
horis locorū consuetis.*

TUBINGÆ,

LITERIS KERNERIANIS.

Anno M. DC. LXXI.

UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

Syllabus III.

11

SCARLETT

D. M. M. M. M. M.

1847

GEORGE D. M. M. M. M.

1847

1847

JACOBUS

1847

1847

1847

1847

1847

ΣΥΝ ΘΕΩ!

T H E S I S I.

Scarificationem, quò suò meritò, nescimus, præsidiòrum sanguinem evacuantium omnium hodie vilissimum putari, res ipsa loquitur: vel enim à foro Medico penitus proseribitur, vel eà tamen negligentia tractatur, ut subinde dubites, an morbian ægri verius jugulum petere debeat. Velut Medici dignitate inferior, solis consoribus, balneatoribus, at quibus hominibus? committitur; quasi leve omnino administrationis opus, extra omne periculi telum positum, ubi perinde sit, quando & quò fiat modò & locò, medicastrarum mulierum frequentius, quàm dogmaticorum Medicorum, suasu suscipitur, admittitur. Cùm tamen, si rem rectè videamus, paria cum venarum & arteriarum sectionibus, generosis illis remediis, imò his sæpè majora faciat, operatorem parum cum illis Anatomicà instructum scientià desideret, parique facta locò, modò & tempore non aptis, ægrum infortunio mactet, ut ex dicendis plenius constabit. Nostrium est, eò majori hanc curà ventilare, quò contemptius huc usque plurimis habita fuit, quoque magis hujus ex jam cognito sanguinis motu usus innotescit, *P. Marquartò Slegelio, Anatomico oculatissimo, teste comm. de sang. motu, c. 15.*

II. Nomen nemini non notum originem Græcam sapit, videnturque tum Latinorum scarificare, vel quod suffragante *C. Victore Schneidero l. 4. de catarrh. s. 1 c. 3.* fonti propius accedit, scarificare, tum popolare nostrum *Schräpfen* / *δοτο & σκαρπιφάσας* ducta. Natum huic sub veteri olim

barbarie fuit synonymum Caraxatio ; quô enim titulô & quam alii inter utrumque differentiam coquant, juxta vulgatum : summa caraxamus, sed infima scarificamus ; obefiores naribus sumus, quàm ut olfaciamus, nec etymon diversum redolet. vide *Iouberti interpret. diction. chirurg. ad Guid. de Cauliaco.* Cæterum sensu improprio nunc misso, quô arbores scarificari dicuntur *Plinio l. 17. hist. natural. c. 27.* aut scorbutus incultis scriptoribus scarificationis ventris nomine venit, auctore *L. Lemniô l. 2. de complex. c. 6.* notat quâ præsens vel simplicem sine cucurbitulis vel cum his tentatam cutis carnisque dissectionem. Cum utraque nobis hîc negotium erit, quatenus manifestam utraque sanguinis evacuationem præstat.

III. Est *vel solius cutis, vel carnis etiam subjæctæ, in peccantibus sanguinis sensibilibiter sed sensim evacuandi gratiam, facta pluribus repetitis ictibus incisio.*

IV. Remedium homini ab ipsa natura ad imitationem monstratum creditur, quæ sponte sæpe suâ in sui salutem noxium ab intimis sanguinem ad corporis ambitum propellit, sicque onere morbificæ se sarcinæ exonerat ; referente *Gu. Rolfincciô l. 4. meth. spec. comm. s. 4. c. 1.* Secundùm *naturalis historiae Scriptorem* hippopotamus, ad mentem *Melampulaci Arabis* hirudines primi magistri extitêre ; adi *syllogen 1. de v. s. th. 2.* Qui pulicem ad inutilem hominis sanguinem sugendum creatum ridiculè statuunt ex *l. Cas. Scaligero ad Cardanum de subtil. exerc. 250.* hunc primum in arte ducem salutare possunt. Apes ursus, si fides est *Hierem. Drexelio in orb. phaeth.* ad hoc officium sollicitat, cùm capitis gravedine laborans alvearia quærit, ut ab illis ædium suarum propugnatricibus pungatur & hâc scarificatione sanguinem discutiat. Sed imperitissimi chirurgi isti, nec personas, nec tempora, nec loca distinguere valentes, judicio *l. Sperlingij phys. instit. l. 1. c. 6. ad præcept. 5.*

V. In quæstionem venit, an veteri Græciæ innotuerit?

De

De simplici dubitare nemo audet, nisi qui in veterum monumentis hospes est. Documenta apud *Galenum* tot exant, quot scarificationis nomina, collegeruntque nonnulla *Marc. Aurelius Severinus chir. effic. enarr. p. 2. de scarif. Rolfincius l. d. c. 2. seqq.* ne plures in re manifesta advocemus. Alteri litteram mover *Hor. Augenus 10. de sang. miss. 12.* quod nulla sui inter Antiquos vestigia reliquerit; contra tamen expressa loca apud *Colum l. de Medico. Pergamenum therap. per phlebot. c. 19. 3. de loc. affect. 4.* & alibi obvia.

VI. De priori primò ordine, sed brevioribus lineis cum *l. Cas. Claudino l. 2. de ingress. ad infirm. c. 6.* videbimus, cum suum, apud nos præsertim, nomen laudemque ferè amiserit, scarificatis cucurbitulis in locum surrogatis, quò jure quæve injuriâ *Prosp. Alpinus l. 3. med. Egypt. c. 3.* & *Severinus l. c.* sententiam edisserant. Formidabile quidem, ipsò fatente *Alpinò*, remedium est *l. d. c. 4.* puerorum terribilamentum *c. 9.* nimis crudele & maximò cum dolore conjunctum, *Waleò* judice, quam carnificinam potius dicerent ægroti, quam medicinam *m. m. de scarificat.* usus tamen antiquiori eandem ætati quam maximè probavit, magnique præprimis *Ægyptiis* semper æstimata fuit, maximique etiamnum fit apud Arabes, Turcas, Italos, Hispanos, Gallos. Multifarium hujus periculum *Alpinus* inter Italos fecit *l. d. c. 4.* inter Gallos *Waleus l. c.* apud Neapolitanos *Rolfincius de febr. c. 80.* viderunt; pluries hanc ipsam cordatâ *Severinus* manu exercuit, paucisque abhinc annis *Amicus* *Genevæ* in tergo suo non sine cordolio in litteris ad nos expresso sentit, prorsusque tutam, etsi contra *Alpin. l. d. c. 8.* summè dolorificam, censet *Sualve disquis. ther. gen. 56.*

VII. Erant autem hæ Veterum scarificationes ex *Galeno 2. ad Glaucon. de febr. 6.* ut gradibus ita effectu invicem distinctæ: una superficialia & brevis, quæ, quod marginem tantum lamberet, vixque latentem subter summam cutem sanguinem duceret, parum omnium consensu partibus in-

• posterioribus auxilii spondebat, excarnibus potius locis quam aliis congrua. Longior altera & profunda subjectas quoque carnes penetrabat, plurimumque sanguinis etiam ad animi usque deliquium hauriebat. Denique ultima illarum media, quo magis ab extremis ambabus abest, ita, ipso *Galenò* arbitro, tutior & in medendi usu celebratior fuit. Quà administrationem fiebant sive cæsim & per tractum, sive punctim & per plagam; illam profundæ & mediæ, quæ cum veteribus ferè tumultum subierunt; hæc superficialiæ, quæ nobis hodiernum præsertim cum concurbitulis frequentatur, tribuitur. *Stephanus Gourmelenus* situs vulnorum intuitu aliam differentiam inter æqualem & inæqualem fabricat, quæ de etiam *Oribasius ex Antyllo l. 7. collect. med. c. 18. Alpinus l. d. c. 5. 8.* monent: prior in simplici, posterior in cucurbitularum applicatione magis locum habet.

VIII. Circa reliquum apparatus, priscamque administrandi rationem non quidem plana omnia sunt, unde *L. Cæs. Claudinus l. c.* rectam hujus præsidii administrationem ad *Galenì & Veterum* mentem summopere ab aliis edoceri cupit, juxta tamen *Antyllum apud Oribasium l. d. Viduum Vidium in chir. lob. Jacob Mannum de malleol. scarific.* ad hunc modum instituitur: Locus, si hujus fere conditio, lavandus, sin minus, aquâ tepidâ, ut incalescat, irrigandus, spongiis fovendus, molliendus, frictionibus rubificandus, aut soli ignive exponendus in doloris partim medicinam, partim sanguinis impetum concitandum: post congruò operi instrumentò, incisionis initiò ab inferioribus factò tractuque ad superiora missò, ne sanguis profluens manum operamque administrantis confundat, lineæ rectæ, æquales in longitudinem, & quod animadvertit *Peccetius l. 4. chir. c. 16.* per fibrarum, si profundò opus sit vulnere, rectitudinem ducendæ sunt, ut & faciliori vulnorum consolidationi, & musculorum non impediendæ contractioni consulatur. Quod ipsum aliàs in apostematibus feliciter aperiendis pe-

ritiores chirurgi religiose observandum inculcant. Casum suggerit *Rolfinccius l. 1. Anat. c. 1.*

IX. Ægyptii suram incisuri partem prius bene frictam pelvi calidâ plenæ immergunt, manibus & arundine modicè percutiunt, dein arctè sub poplite zonulâ coriaceâ ligatam, omnique stupefactam arte incisionibus ordinatis jam pluribus, jam paucioribus, pro necessitatis urgentia, æqualibus spatiis interstinctis secant; depictam operationem cum suo apparatu in schemate sistit *P. Alpinus l. c. c. 8.* parique Hispanos modò operari *Amatus Lusitanus in centuriis* testatur. Vacuatò sanguine, cruribus absterfis, manuum volis oleò sesaminò aut febò inunctis vulnerum labia citò iterum uniunt, moxque gossypiò undique aptatò, partem lineâ fasciâ integrum triduummuniunt, stricteque obligant. Plura *cit. Autor.*

X. Instrumenta sunt non recurvæ fiutæ nostræ, sed scalpella tenuia, acutissima *Hippocrati de ulcerib.* Rasorium seu novaculam alii cum *I. Cas. Claudino* eligunt. Brassiliani spinis arborum aut piscis lamia dentibus negotium committunt. Aculeatum mulier filicem substituit & hòc cutim laceravit apud *Reiner. Solenandrum sect. 5. consult. 15. num. 15.*

XI. Locus pro indicantis varietate variat. Primas Antiquitas malleolorum scarificationi concessit, ejus hinc inde frequentes *Galenus* laudes decantat. Quæ qualis verò hæc fuerit, non ita liquet, cum locus malleoli nomine descriptus *de cur. rat. per V. S. c. 18.* excarnis & exanguis desideratæ huic & ad animi usque deliquium celebratæ evacuationi planè impar sit, nec sine gravioris doloris metu aut convulsionum minis, ob tendinum nervorumque præsentiam, cultro commodè subponi possit. Hinc *Ægyptij & Syri*, divortiò, ut videntur, à *Galeno* factò, suram, superiorem magisque carnosam cruris partem sive unam sive utramque simul cum magno ægrorum solatio incidunt. Sed sal-

va res est. Non dissentiunt, inquit *Ralsinccius*. Intelligitur illa pars suræ infra protuberantiam carnosam media, malleolo contermina. Malleolus per excellentiam dicitur locus, quia scarificatio ab infra inchoatur, adde *P. Alpinum*, *I. Iacob. Mannum l. c. Daniel Sennertum in Instit.*

XII. Brasilienses femoribus, brachiis & musculosis partibus omnibus eadem vulnera intentant, nec nostrô iudiciô imperitè, ut mox usus docebit. In febribus malignis dorsum invadunt Neapolitani, perque hujus totam longitudinem multis æqualibus incisionibus excurrunt. *Waleus* has in desperata cephalalgia collo ad cucullarem musculum applicatas notavit. *Hebraeus Amstelodamensis* profundas toti capiti ex erysipellate œdematoso monstrosè intumescenti feliciter intulit. *l. 3. prax. admirand. observ. 121.* similesque veterum & recentiorum plures dolenti ex pleuritide lateri seriô commendant *Severinô monente l. d. c. 4.* Prudenter verò *Waleus* expertum rei Anatomicæ chirurgum requirit, qui innocuis partibus parcere norit: justo enim profundiores scissuras supra spinam dorsi paralytis, ob nimiam hæmorrhagiam mors secuta fuit, apud *Z. Lusitanum l. c. obs. 65. 66.* Cæterum etiam aures, nares, harum mediastinum, labia, mentum, gingivas dolorosæ huic medicinæ apud *Ægyptios* subjici pluribus ex *Ægypt. medic. auctore l. 3. c. 2.* videre est. *Zac. Lusitanus* præcitatus linguam plus debitò tumefactam scarificavit loco jam dicto *l. 1. obs. 81.* Ungues pollicis utriusque manus in pterygiis scarificare jubet *I. Sophronius Kozack de sale f. 15.* eosdem in chitagræ, ut pedum ungues in podagræ metu, menstruatim scarificatos laudat *Ph. Salmuthus c. 3. obs. Med. 46.* pluresq; non rarò partes ulceratæ, gangrænatae, &c. scarificatum simplicem magis, quàm cum cucurbitulis, optant.

XIII. Loco respondent quantitas & usus: de utroque fidei data memores breviter. Secundum enim incisiones plures aut pauciores, magis minus profundas, loca majoribus

bus minoribus prædita vasis, nunc largiorem nunc parcio-
rem cruoris fluxum irritari quis inficiabitur? *Oribasius l. c.*
c. 20. & libro Galeno adscripto presag. exper. confirm. c. 4.
è cruribus libras quasi duas eduxit. *Alpinus* in pueris æquè
ac adultis ad libram adscendit, *c. 7.* Tres libras detractas
Sennertus memorat. *Galenus l. d. art. curat. ad Glaucon.* ad
animi aliquando defectum evacuari fatetur. Circa ungues
prolicere, quantum haberi potest, *Kotzacki* consilium est.
E narium mediastino paucus, plurimus è naribus ipsis fluit.
Aures ad *1. Thom. Minadoi* relationem unciam & ultra fun-
dunt. Quicquid autem de quantitate fiat, si id evacuatur,
quod oportet evacuari, confert & ægri faciliè tolerant *1. aphor.*
2. 23. 4. aphor. 3. Nonnunquam cucurbitularum opus est
ope, quæ opus facilitant, de quibus statim post usum.

XIV. Hic, *Chirone Neapolitano* querulante, superari
medendi nos prudentiâ videmur ab Arabibus, Ægyptiis,
Barbarisque aliis, qui morbis compluribus, febrilibus præ-
primis ignibus & ipsi pesti, quasi per compendium, unò hoc
scarificatu medebantur. Nimirum cum subcutaneum non
modò tam vasis conclusum quàm extravasatum sanguinem
feliciter duceret, sed profundior præsertim grandiores
etiam & carnibus altius immerfas arterias pariter & venas ex
voto depleret, morbosam totius sarcinam, plethoram, &
hinc oriunda mala tum præsentia. tum imminetia, quic-
quid obloquatur *1. Guinth. Andernacus de vet. & nova medic.*
comm. 2. dialog. 3. de facili solvere & diffilare potuit, recteque
malleolorum non tantùm scarificatio *ex comm. Gal. in 2.*
aphor. 17. ad quam tenendam omnes machinas adhibet Ægy-
ptiacæ medicinae Autor, sed & femoris, dorsi, brachiorum in-
cisio, ubi paria vasa parilem sanguinis profusionem vel ad
mortem usque ex *super.* indulgent, V. S. vicariæ audiebant,
audirentque rectius, si de usu satis conveniret, nostrâ æta-
te, quâ *L. Fuchsi* censurâ *comm. 5. aph 31.* tanta sanguini re-
verentia habetur, ut venæsectiones nostræ illis veterum

collatæ exiguæ, imò scarificationis vix nomine dignæ sint. De privata evacuatione, humoris à partibus averfione, longè minus dubitandum; optatius enim hæc singula utrâque non rarò phlebotomiâ exequi, & quod morosius agat, minori virium dispendiò, proniori cujuscunque ætatis, constitutionis, vasorum assensu, ratio & experientia, hisque ducti & edocti *Galenus de rat. cur. per V. S. c. 11. Ludov. Mercatus de rect. presid. us. c. 4. Duncan. Liddelius 4. art. med. 19.* calculis calamisque subscribunt. Experimenta *Pergamenus de cucurb. & scarif. Alpinus, Severinus, Rolfinccius l. c.* promunt, aliaque circa scarificatum cum cucurbitulis occurrent, ad quem nunc imus.

XV. Σικυάσις Græcis inscribitur, cucurbitare minus Latini Medici, *Horat. Octavianus, Gariopontius, &c.* appellant, sensu verbi longè alio, quàm *Vossius eruditissimus l. 4. de vitiis sermon.* interpretatur. Fit, cum cucurbitulæ medicæ subsidio culposus è scarificata cute sanguis exugitur. Operatio nostratibus tantum non quotidiana est, ut prior penè ignota, administrandi modò & effectû diversa, miræque vel hoc nomine subit, fuisse etiam inter Medicorum Principes, qui utriusque differentiam non viderint, quam abunde exponit *P. Alpinus l. c. c. 5.* confirmat *H. Mercurialis l. 4. de morb. mulier. c. 1. de peste c. 16.* Antiquitatem suam jactare posse supra ostendimus, nec tamen hoc ipsò virulentam nonnullorum censuram effugere potuit: ita enim *Theophr. Paracelsus in append. tom. 5. Der Rath zu Schrepffen ist nichts anders als ein Galgenstest / ist gut Wilderung halten / nicht wegen Heilung. Schrepffen ist nichts mehr / dann als wann einer geschwollen ist auff Centner schwer / und du purgirest ihm zehen Pfund davon / und ist morgen wieder wie vor.* Sed contra experientiam, contra veritatem. Duriora multò *I. Baptista van Helmont. de febr. c. 7. §. 1. 2.* Venæsectiones, inquit, & scarificationes concurrunt in cruoris, virium & corporis diminutionem. Huic verò

verò *Rolfincius de febr. c. 126. Frider. Hofmannus r. m. m. Wal. 18. ex asse satisfaciunt. Verius abusu talia imputat Fr. Oswaldus Grembs arbor. integr. & ruin. hom. l. 3. de vita long. c. 1. quem juxta cum illo detestamur. Sunt, qui consuetudinem metuunt & necessariam remedii semel admissi reiterationem, quod idem de V. S. & purgatione *Iacob. Primerosius 4. de error. vulg. in med. 8. de clysteribus Ioh. Drawius sympt. scorb. f. 8. de hirudinibus Gu. van den Boussehe 4. de animal. nat. & us. med. 20. de acidulis Melch. Sebiziuss diff. 3. de acid. sect. 1. Lud. von Hornigk de acid. Swalbac. q. 60. de fonticulis alii adducunt & prolixius respondent. Breviter nos: non presentibus indicantibus non opus est indicatis, non indicatorum materiâ: addatur *Sennertus paralip. ad Instit. 19. Novum Riolanus* scrupulum injicit, dum universalem sanguinis circulum cucurbitulas scarificatas turbare scribit *l. de circ. sang. c. 14. at verò è fugiente etiam flumine aquam cursu non interrupto haurire licet: adde Slegelium l. c. c. 14. exercitat. nostr. 2. de flux. & reflux. sangu. Sed ad rem.***

XVI. Cucurbita, cucurbitula vas audit, quod affigitur, formæ & nominis similitudine, communi consensu, ab horrensi cucurbita ductâ. Ventosas vulgus medicorum dicit, nomenclaturæ rationem *Fuchsius in inst.* suggerit. Ex quolibet quidem materiæ, si hanc spectes, genere, rectè fieri posse *C. Celsus 2. art. med. 11. largitur*, familiares tamen Antiquis, eodem Autore, æneæ & corneæ fuere, quibus *Oribasius & Paulus* vitreas & argenteas, secuta ætas metallicas alias addidere. Ligneas *Augenius* nominat, interque has buxæas *Severinus* extollit. Ex ipsa cucurbita olim fiebant, unde fortè nominis etiam aliqua occasio venit. Fictiles, si ceteræ defecerint, ipsa imò fictilia vasa operi culinari sacra, caliculum, pultarium *Celsus & Augenius* substituere jubent. Quæ figuram, oblongæ aliæ sunt & incurvæ, cornette, corniculæ, materiæ intuitu, dictæ, aliæ circulares, ventricosæ, rotundò tamen omnes orificio constructæ, aliæ clau-

ſæ ſuperiori & laterali parte, internâ apertæ, aliæ utrinque, diſpari tamen ore, patulæ; in quantitatē aliæ magnæ, aliæ parvæ, mediocres aliæ. Ratione adminiſtrationis, alibi ignis beneficiô, alibi ſine hoc applicantur, nonnullæ breviori, longiori aliæ morâ inhærent.

XVII. Eſſi verò, ut cucurbitularum debitè applicandarum cura paucos tangit aut angit, pluresque ſequioris præſertim ſexûs, etiam in utero habentes, in ſalutatio plerumque & inconfultô Medicô, uſu harum aut veriùs abuſu delectentur, dolente id non ſine cauſa *Godofr. Welfchii hiſt. med. de novo puerp. morb.* ita prædictarum differentiarum rationem vix uſus aut alter habeat, plurimùm tamen, ut educantur qualia oportet, has obſervaffe refert, nec malè hoc titulô in *Galenum & Avicennam Minadous* invehitur, quod nullibi ſub prolixo cucurbitularum examine harum differentias attigerint. Semper quidem trahunt & ex quacunque educatæ materia cucurbitulæ uſum ſuum probant, fortiori tamen vi alias, alias debiliori operari, experientia ſtultorum magiſtra docet, quumque non pari ſemper omnibus in morbis aut ſubjectis tractione evacuationeque opus ſit, quanti hæc apud nos electio eſſe debeat, vel pueri vident, nec antiquos fugit. In pauciora digitum intendemus.

XVIII. Cornearum rarus inter nos quidem uſus eſt, magnus tamen Americanis, toti que Thraciæ & Arabiæ commendatiſſimus, *Guil. Piſone & Alpinô* atteſtantibus. Lithuaniæ etiam adhuc notas *Melch. Sebiziſ comm. de hirud. revuls. & cucurb.* aſſerit, easdemque in thermis Badenſibus *Th. Bartholinus de pulmon. ſ. ſ.* obſervavit. Palmam vel ideò cæteris præripiebant, quod his pro cujuſvis neceſſitate ſanguinis ſuctum vel urgere vel imminuere arbitrii noſtri eſſet, revocandasque omnino in uſum cenſuit *l. Th. Minadous diſput. 4. de cucurb.* nec refragatur *Sennertus in Inſt.* His vitreæ proximæ ſunt Italis & Gallis comuniſſimæ, nec noſtratibus ignotæ. Quod leves, diaphanæ, exuctique copiam ſanguinis

his oculis ipsis statim sistant & mensuram facile limitent, præ æneis nobis usitatoribus, licet hæ ignem fidelius custodiant, partem tenacius arripiant, locum merentur. Accedit quod metallicæ sordes facile & impuritates imbibant. Quid latioris circuli cucurbitulæ, quid angustioris valeant, ipse *Cous l. de Medico* aperit; plus illæ à remotioribus, hæ parcius trahunt. Nec minus effectum variant vasis magnitudo, applicationis modus, & inhæsionis tempus. Majores & magis ventricosæ, cum igne admotæ, cæteris validius fugunt, ut & quæ diutius parti immorantur. Plura Autores.

XIX. Nostratium operandi modus omnium notissimus. Abluunt scarificatores partem calidâ sive ad fornacem hypocausti, sive, quod usitatissimum, in Laconicis balneis, quorum locum aliis in regionibus focus luculentus supplet, post cucurbitulas, oris leviter prius calefactis & sevo illitis, absque flamma, ut pars rubescat, applicant, mox his avulsis cutem scalpello decenti inordinatis pluribus ictibus incidunt, cucurbitulas denuo affigunt, gravidas sanguine refigunt, hasque ictibus vel alius inflictis vel renovatis ad sufficientem humoris exuctum aliquoties repetunt. Alii, flammâ manifestâ utentes, in æneas præsertim & metallicas alias stuppam cannabinam seu linamentum ardens conjiciunt atque corpori imprimunt, donec inhæreant. Hic affigendi æneas modus *Philosophi* tempore cognitus fuit, ut *ænigma 3. rhetor. 2.* quod etiam apud *Plutarchum in convivio Sapientum* extat, & à *Cleodemo Medico* solvi non potuit, manifestat. *Corneas Aegyptij & Americani* non igne, non aquâ calente, sed validô oris suctu, aëre per summam foramen evocatô, moxque clausô, sive cerâ, sive frustulô pellis ovilis aut etiam digitô, orificiô, cuti validissimè affigunt, & pro lubitu reiterant; eodem illi modô vitreas rostratas ampliores apponunt; enchiridis & figuræ apud *Alpinum l. 2. c. 13.* depictæ sunt, cui adde *Ambrosium Paræum lib. 16. chirurgiæ c. 61.* Hic ut unicus *Ægypto & Americæ* notus modus

dus est, ita cum pluribus aliis inter nos ob administrantium
 imperitiam penè defuit. Vidit tamen *Thom. Bartholinus* apud
 Helvetos cornua talia multis corporis locis affixa *l. c.* Plura
 de affigendi arte invenies apud *Anonymum de cucurb. Iacobi
 Fontani methodo junctum, Æginetam, Alpinum, Severinum.* In-
 strumenti vices tuentur fluitæ nostræ & communia phlebo-
 toma, sed magis resimâ plerunque formâ constructa, ut &
 apud barbaros nonnulla ex superioribus: taxat tamen in illis
Andernacus l. c. quod plagas nimis arctas post se relinquant;
 magis nos curandum putamus, ut virulenti contagii unâ cum
 cucurbitulis suspicione careant: vestigia, quæ nos terrent,
 obvia sunt apud *Greg. Horstium lib. 2. epist. med. f. 6. Paulus* in-
 strumendi tribus æqualibus scalpellis simul junctis constantis
 meminit, quod tres unô ictu plagas infert; sed hoc ipse mer-
 rejicit simplici contentus, *lib. 6. c. 41.*

XX. Quâ vascula hæc vi, sive calore sive oris suctu ap-
 plicita, sanguinem provocent, anxios omni tempore Docto-
 res tenuit. Calore trahere communis ferè vox est. Sed cum
 hodie sub judice lis sit, an caloris proprium sit trahere, imò
 non esse à modernis nonnullis ad nauseam urgeatur, non
 est, ut huic diutius immoremur materiæ, cum præsertim, quò
 cucurbitulæ modò calore subsidiariò hæc destitutæ operen-
 tur, non videamus. *Cartesiana* Philosophiæ sectatores
 non tractioni, sed pulsioni favent, aëremque externum
 compressum carnem premendo liquorem in cavitatem cu-
 curbitæ propellere fingunt. Sed invitâ carnis naturâ, quæ
 tam tenera neutiquam nobis est ut levi aëris appulsu loco
 moveri possit & comprimi, *Thom. Bartholinò* arbitrò de *pul-
 monibus.* Næ, inquit *Vopiscus Fortunatus Plempius*, suis isti
 impulsionebus & pressionibus omnem bonæ philosophiæ
 succum exprimunt. Ob vacui igitur fugam fieri credimus;
 attenuato enim ignis vi aëre aut exsuctò ore spiritu cutem
 ad se trahunt cucurbitæ, in tuberculos elevant & patente hæc
 sanguinem, integrâ existente spiritum & flatus sugunt: vi-
 dea-

deatur *Augenius l. 10. de sang. miss. c. 16. Fuchsius in inst. de scarific. Severinus pyrotechn. chir. l. 1. p. 3. cap. 3. H. Conringius, de sang. gener. & motu. c. 42. Bartholinus l. c. Eodem Authore cucurbitulæ multo vehementius ex partibus humorem trahere dicuntur, si nivem sinu suo incluserint, de nivis usu. c. 22. aut frigidò ambiente obsideantur teste *Plempio*. Causas citati Authores suggerunt.*

XXIII. Mensuram exucti sanguinis minimam unciaæ duæ, maximam unciaæ duodecim, tredecim determinant; quindecim tamen excretas *Walaus* vidit. Balneator quidam apud *Ioh. Langium 1. epist. med. 40.* prolicere valuit quantum voluit, fluxumque ad nutum coërcuit; pulvere peculiari scalpellum expolivisse creditus fuit, quo sanguini impetum dedit: augeret conjecturam hanc *Grembsius l. c.* venenosis, scribens, tincturis turpis lucri cupidos balneatores acuere phlebotomum ad eliciendum plus cruoris. Spiritus volatilis salis ammoniaci, aliaque sale volatili imprægnata *I. Dan. Majori chir. infus. dub. 9. §. 13. dub. 15. §. 3.* fundere sanguinem dicuntur. Subinde, ubi fibris sanguis suis destitutus est, orgasmò per cucurbitulas excitatò, letale profluvium accidit; casum *I. Rhodius c. 3. obs. med. 69.* allegat, parque nobis exemplum olim *Fridburgæ Hassorum* videre contigit, nec dissimili usa fortunâ nobilis illa apud *Langium d. l.* videtur: in peste ex occulta labe jam ante fluidus, de *la Boë Sylvio* teste, humor compesci cucurbitulis irritatus non potuit ex *Zac. Lusitani l. 3. prax. admir. obs. 42.* Contra aliquando ob consternationem nullus planè fluxit secundum *Phil. Salmuthum c. 3. obs. 58.* quod idem à spirituum acidorum admistione fieri *Major l. c. dub. 9.* ostendit. An his secretum Bilsianum, quodcunque sit, congruit, quo Batavi absque sanguinis profusione brutorum hodie cadavera secant? ita enim Amici literæ paucos ante annos ad nos exarata: impellunt humorem acidum, quis sit ad huc latet, in venam jugularem, qui circuli ope in totum delatus corpus sanguinem in gelatinæ consistentiam

tiam cogit, sicut in sero sanguinis carbonibus admoto fieri videmus. Nos experimenta cum oleo tartari & vitrioli fecimus, sed non respondit votis eventus, quamquam parum concretus sanguis visus fuerit. Hæc illæ. De sale mirabili *Glauberi* & fixo alio *D. Ahasveri Paynyk* aquas in gelatinam vertentibus videatur *Thom. Bartholinus de experim. Bilbian.* Aliquando mera aqua prodiit, *Salmuth. c. 1. observ. 87.* causas Autor varias incusat; lymphatica læsa omnem paginam fecisse videntur.

XXIV. Locus quidem omnis sanguine gaudens & quem cucurbitæ apprehendere possunt, huic operationi commodus est, collum tamen, scapulas, dorsum, brachia, femora, suras, dubio procul ob vasorum copiam, familiarissimè invadimus. Sub mento affixit *Z. Lusitanus l. 1. princ. med. hist. 74. obs. 54. l. 1. prax. admir. obs. 94.* in angina canina, in apoplexia desperata occipitio *l. 1. pr. med. hist. 33. obs. 31. hist. 77. obs. 57.* in phrenitide sincipiti *l. 1. prax. admir. obs. 24.* retro aures in dolore aurium inflammatorio contumaci *Hippocratis ductu. 2. epid. s. 6. l. c. obs. 69.* in valida cordis palpitatione supra cor admovit *l. d. obs. 143.* plantis & digitis pedum & pollicis in specie in podagricorum solatium ab aliis adplicantur: ratio est in vasis ad extremum pedem excurrentibus & podagricum fomitem ad monticulum præsertim pollicis lateralem deferentibus, qui ideò prima instantissimi præludia facit. Videatur *Rolsinccius anat. l. 6. c. 61.* Hoc se modò Danorum Rex Christianus IV. per totam vitam præservasse dicitur. Super pubem *Z. Lusitanus. l. 1. prax. hist. c. 14. observatione annexâ* uteri inflammationi concessit; nates his onerat in febribus malignis *P. à Castro.* Ad mammas mensibus excedentibus *Cous* ordinat *s. aph. 50.* Cætera præterimus: sed & in his partibus vulnerandis anatomix gnarum operatorem requirit Autor anonymus cit. recensetq; ex Avicenna malè hæc administratâ chirurgiâ *Z. Lusitanus. l. 1. hist. med. princ. hist. 72.* linguæ paraly sin ortam.

XXV. Sed & tempus & agendi opportunitas, cum *Seneca* & veritate suffragantibus, nil immaturâ medicinâ periculosius sit, aucupanda veniunt, quibus neglectis morphæam natam *H. Mercurialis l. 2. morb. cut. c. 7.* ex *Avicenna* refert, faucium tumorem & instantem suffocationem *Balthasar Timæus respons. med. 55.* orta notat. At hîc toties peccari à nostris hominibus videmus, quoties manum huic operationi admovent, dum astra prius consulunt quàm ægrum, frivolas Calendariographorum regulas, & fictitios signorum Zodiaci in singulas corporis partes dominatus magis quàm morbos intuentur, cui effreni peccandi licentiæ frenum facile injicit illa omni laude digna, omnibusq; quibus salus humana curæ cordique est, amplectenda constitutio apud *Th. Bartholinum dissert. 5. de medic. Danor. domestica. art. 26.* sine Medici approbati consensu nullus chirurgus venam secet in morbis gravibus, nec permissum sit balneatori in similibus morbis cucurbitulas affigere, vel alia consilia dare sine Medici voluntate. Utinam verò hanc illi insaniam soli insanirent, nec sui in contagii consortium plures etiam Medicorum traherent, quos meritò risu excipiunt *I. Primerosius l. 4. de error. vulg. in medic. c. 9. 10. Raymund. Mindererus threnod. med. c. 17. Abdias Trew in astrol. med.* qui periculò in se suisque factò plus simplici vice regulas istas datâ operâ violavit, nihil tamen unquam incommodi inde sensit. *disput. 1. §. 37.* Idoneum verò tempus, adductum *Augenij*, duplex occurrit; alterum quod eligimus magis conveniens secundum Artis principia; alterum necessarium, quod quamvis non sit optimum, melius tamen est, quod in rem præsentem & extemperariè eligi possit. Illius intuitu, non nisi totò prius evacuatò, coctâ materiâ, viribus præsentibus, annis consentientibus, lunari tributò à sequiori lexu jam solutò, modò sub plenilunio, ipsâ imò plenilunii horâ, modò diebus novilunio proximis vel in ipso nevilunii puncto, pro indicantium jussu, affiguntur;

in consuetis menstruum spatium nonnullis solenne est, alii singulas anni quadras præscribunt, diurnum, pomeridianum tempus eligunt. Quæ ubi morbus inducias dat, præservare potius quàm curare animus est, aliquando ex usu esse possunt: in curatione verò & urgente præprimis morbo, id operationi commodum maximè tempus est, quod remedium præsens imperat, quodcunque sit, ut majori malo, quanto ocyus possumus, obviemus.

XXVI. Cruorem scarificatione eductum in hortum super gramina vel herbas deportari, aut in fluentum abjici jubet *Kozak. l. c.* ob causas, ut addit, non superstitiosas, sed justas & naturales alibi revelandas. Eundem in podagra & arthritide accuratè collectum in formicarum acervum defodi imperant *Rolsinccius disput. de podagr. l. Theod. Schenkius de arthrit.* spondentq; hoc devorato dolorem ex afflicto membro statim cessaturum, magneticâ virtute: sed *Rolsincciô* ipsô censore *l. 13. consult. med. 2.* hujus quidem curationis nomen magnum, magnumque à multis applausum meretur; res ipsa vero sæpe vana, falsa & superstitiosa non rarò est: hinc laudatur ab his, culpatur ab illis. Videantur *Anonymus de occult. magico-magnet. morbor. cura*, *Tenzelius in medic. diastat. Pharamund. Rhumelius in cura podag. magic.* *Helmontius de magn. vuln. curat. l. Robertus in he aut. Goel. & resp. ad Helm. lac. Balde in solat. podagric. aliq.* Medium tenere beati. Nos quidem cum *Th. Bartholino c. 3. hist. Anatom. 66.* non statim damnamus, quæ imperita ratio non statim percipit; interim nec inficiari audemus, multa sæpe falsa, superstitiosa se multa immiscere: plura effecta subinde veris causis suis invidemus, quæ talibus rebus ridiculè concedimus. Adi *Swalbe disquis. therap. gen. sect. 1. de cur. magnet.* Convalescere ita æger potest, non quia sanguinem per cucurbitulas exuctum gramine superinfudit aut formicis devorandum objecit, sed quod vitiosi sanguinis, quò ante gravabatur, natura onere ex parte sublevata, reliquum re-

collectis aliquantulum viribus faciliori sive suâ sive artis operâ emendet, aut è corpore eliminet. Sed hæc ὡς ἐν παραδοξῳ.

XXVII. Restat usus, quem sensibilem, sed sensim tentandam culpabilis sanguinis ex arteriis simul & venis evacuationem diximus: parcior hæc pauciorque hîc fit, quàm utraque plebotomia aut simplex veterum scarificatio largiuntur, vixque ullis ita viribus, ulli ætati, necessitate præsentē, formidabilis. Cæterum evacuatio talis, vel plethoræ tam universalis quàm particularis depletionem, vel alienarum qualitatum correctionem, vel humoris motu vel quiete peccantis inviam & ordinem reductionem respicit; quæstio de omnibus scopis incidit, quibus & quò illis modò succurrat. Totius plenitudinî, si præprimis subito ex *1. aphor. 3* solvenda sit, sufficere vix videtur; particulari verò indubitatum & præsentissimum non rarò remedium affert. *13. m. m. 19.* testibus tot partium p.n. inundationibus hæc exantlatis, tot tumoribus hujus unius opetantum non quotidie detumescētib. Lassatis bajulorum ex plethorâ scapulis & humeris hoc prudenter auxiliò subvenit *Augenius l. d. 6. 19.* Capiti hæc ex causa modò quòcunque laboranti, citra vel sensum vel memoriæ, experiētiâ loquente, jacturam, quæ excessui, si fit, imputanda, opitulante manum porrigit, sive in sincipite cum *Rhase 9. ad Almanforem, & H. Fracastorio in hujus vita* sive in occipite cum *Z. Lusitano l. 1. Med. Pr. hist. 33. obs. sing.* celebretur. De modo auxilii dubitantibus *D. Arnold. Friderici de apopl. & Juvat*, inquit, quatenus per vasa capillaria, quæ ex sinu tertio crassæ meningis per suturas & foraminula in cutem repentiâ desinunt, copiam sanguinis in cerebri medullam & nervorum principium comprimentis tollit. Loco in pleuritide affecto impositæ cum scarificatu cucurbitæ noxam extrahunt maleque audax ab *Alexandro Benedicto* remedium accusatur, modò cautelæ à *Galeno 11. m. m. 17.* & *Z. Lusitano prax. hist. l. 2. c. 3.* notatæ observentur. Successum *L. Riverius c. 3. obs. 39.* deprædicat, utut *Baronius l. 2. de pleuropneum. c. 15.*

expectatione tardius in morbo celeri subsidium putet. *L. Mercatus* in melancholia hypochondriaca ventriculi, turgentibus venis, regioni admovent. Sed an omnem promiscuè sanguinem crassum pariter ac tenuem sugunt? Pro hoc plurimum suffragia militant, pauca pro illo. Nos cum utraq; parte facimus; præcipue quidem tenuis, ob vasa lymphatica sub glandulosa cute copiosior & ad motum obsequiosior, trahitur, quem tamen post & crassior pauloq; arctius hærens, si adest, nec trahente vi, nec viis deficientibus, facile sequitur, crassioriq; ita & felicius ut plurimum quàm per phlebotomiam evacuato liberior reliquo motus conceditur. Pus ipsum apud *Riverium* l. c. emulctrum legitur. Extremis partibus & artubus multorum morborum dolorumq; pabulum subtrahunt, peregrinis sanguinem saporibus & venenatis *μιάσμασι* emungant, serosis, saluginosis, biliosis, cutem fuliginibus exuunt, hocq; ipsò arthritidis, podagræ, catarrhorum & cutis fœditatis variæ semina extinguunt, febrium insimul etiam malignarum fomitem suffocant, nec incongruè *Kozakio* fontanellorum incommoditatem præcavere creduntur. Motu vel quiete peccantem sanguinem hâc ope corrigi quotidiana experimenta declamant, nec ratio contradicit. Evocatâ enim furiosi sanguinis parte & recursum ab exterioribus ad interiora, à cutaneis & minoribus ad majores venas retardatò, impetus sive præsens sive imminens in partes facile coercetur. Nec difficilior pigrior ad motum humor incitatur & p. n. quiescens in viam & ordinem reducitur. Tractionis in cucurbitulis vires *F. Hildan.* in craniis puerorum depressis expertus est, in ægro post applicitas fortioris suctû cucurbitas, agitatio violentius sanguine, remulento factò *Waleo* deprehendit, eandem in mensium stagnantium & sugillatorum cura quasi manibus palpamus. Cur phthisin apud *Salmuthum*, hepatis inflammationem apud *Hildanum* induxerint, causam *Schneiderus* l. 4. de catarrh. f. 2. c. 3. inquit. Pleniores laudes, qui desiderat, consulat *L. Mercatum Anonym.* de cucurb. *Severinum*, *Rolsincium* l. c. Nos rivum claudimus.